



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Dissertationes Juridico-Theologicæ De Jure, & Justitia**

**Karchne, Simon**

**Augustæ Vindelicorum ; [Graz], 1714**

§. X, De aquisitone dominij per donationem.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40013**



## §. X.

*De acquisitione Dominiij per donationem.*

DE hoc infra à n. 505.

## §. XI.

*De venditione rerum carentium taxato pretio rei furtivæ, & de evictione illius.*

232. **A**N res carentes pretio legali & vulgari, ut rara gemmæ, Canes insignes, picturæ, aves, animalia peregrina, numi antiqui &c. vendi possint pretio quantocunq̃ue, ex consensu Emptoris? *Resp.* Etsi communior veriorq̃ue sit opinio negativa apud Lugo *Disput.* 26. n. 46. quia iustitia pretij secundum omnes dependet à communi hominum æstimatione attentis circumstantijs, nempe qualitate, utilitate, raritate, expensis communiter solitis (secus quas mercator patitur, fortuitò ex naufragio, rapina &c. Lugo n. 41.) periculis difficultate in afferendis, novitate, emptorum pluralitate, ergo est injustum taxatum à sola mercatoris avaritia, & cupiditate Emptoris, huic enim communis prudentum æstimatio resistit; Attamen affirmativa propter auctoritatem Doctorum. Victoria, Bannez &c. quam præcitant Europæi mercatores cum Æthiopibus, & Indis, fistulas, vitrum &c. pro auro, & gemmis permutantes, & has hic pretio quanto possunt vendentes, condemnari non potest.

233. Quæres secundò. An venditio rei furtivæ valeat? & quid si ab Emptore rursus vendatur tertio? *Resp.* Primò ad Primum quando tam venditor quam Emptor scit furtivam esse, contractus est nullus *L. 34. §. 3. ff. de contrahenda Empt.* estque sententia recepta cum D. Thom. q. 62. art. 7. quia uterq̃ue scienter damnificat rei Dominum, Emptor acceptando, venditor distrahendo, ergo Emptor nequit fieri ejus Dominus propter malam fidem, consequenter nec venditor Dominium transferre, sed uterq̃ue insolidum debet restituere vero Domino.

*Resp.* Secundò si solus venditor est conscius esse furtivam, contractus est verus, & validus utrinque obligans, Emptorem ad solvendum pretium, venditorem non quidem ad transferendum Dominium, cum hoc sit penes rei Dominum, sed ad interesse, ac de evictione, ita est expressum *L. 28. ff. eod.* unde Emptor acquirit jus evictionis translatio pretij Dominio in venditorem, hic autem